



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. II. A quo sanctificetur formaliter humanitas Christi sanctitate
substantiali; an à modo unionis, vel à Verbi personalitate, vel à sola
Natura Divina?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

19. Respondeo secundò, datà Majori, negando Minorem: sicut enim effectus formalis primarius gratiæ habitualis, est reddere hominem deificatum accidentaliter, seu naturæ divinæ participem; reddere verò illum sanctum & gratum Deo accidentaliter, est effectus duntaxat illius secundarius. Ita reddere naturam deificatam substantialiter, est effectus formalis primarius gratiæ unionis; sanctitas verò substantialis secundariò tantum ab illa procedit, subindeque ab illa separabilis est de absoluta Dei potentia.

20. Objicies quartò: Illud solum sanctificare potest formaliter, ratione cujus subiectum acceptatur ad gloriam: Sed ratione gratiæ unionis subiectum non acceptatur ad gloriam, cum possit Deus humanitati Verbo Divino hypostaticè unitæ, vitam æternam negare de absoluta potentia: Ergo per gratiam unionis non sanctificatur formaliter.

21. Respondeo, concessà Majori, negando Minorem, ad cujus probationem dicendum quod in casu quo Deus humanitati Verbo hypostaticè unitæ vitam æternam negaret, maneret humanitas ex vi gratiæ unionis acceptata ad vitam æternam in jure, etsi in re & de facto non esset acceptata ad illam, ut petebat quantum est de se gratia unionis: hoc verò sufficit ut formalis sanctitas sit, ut patet in ipsa gratia habituali, quæ sanctificat hominem formaliter sanctitate accidentali, quia dat jus ad beatitudinem, & facit hominem acceptum ad illam in jure, quamvis de potentia absoluta homo justus, & in gratia constitutus, in re & de facto posset non acceptari ad illam; potest enim Deus homini in gratia constituto vitam æternam negare, imò & illum in æternum punire, suâ utens absolutâ potentia.

22. Dices, Si gratia unionis esset Deo ratio diligendi humanitatem Christi in ordine ad beatitudinem, vel esset ratio illam diligendi in ordine ad beatitudinem, amore necessario, vel amore libero? Primum dici non potest, cum Deus extra se nihil necessariò diligat. Nec etiam secundum, nam bonum infinitum (quale est gratia unionis) non liberum, sed necessarium terminat amorem: Ergo gratia unionis non est ratio diligendi humanitatem Christi in ordine ad beatitudinem, nec per consequens illam sanctificat formaliter.

23. Respondeo negando Minorem, quantum ad secundam partem, ad cujus probationem dicendum, quod quamvis infinitum bonum in seipso, necessarium terminet amorem in Deo, ut tamen naturæ creatæ communicatum, non terminat amorem necessarium, sed liberum: ut patet in actibus Christi meritoriis & satisfactoriis, qui licet infinitate quadam morali gaudeant, ut disp. 4. ostendimus, tamen non necessitant voluntatem divinam ad præmium, nec ad pœnæ remissionem, nisi supposito pacto, quia non sunt per essentiam, sed per communicationem infiniti.

ARTICVLVS II.

A quo sanctificetur formaliter humanitas Christi sanctitate substantiali: an à modo unionis, vel à Verbi Personalitate, vel à sola Natura Divina?

24. O stendimus articulo precedenti, humanitatem Christi sanctificari formaliter, sanctitate substantiali, per gratiam unionis: Sed quia in tali gratia tria considerari possunt, quæ possent

Tom. IV.

A reddere Christi animam formaliter sanctam, scilicet modus unionis humanitatis Christi cum personalitate Verbi, quem aliqui probabilius admittunt; ipsa personalitas, quæ immediatè tali humanitati conjungitur; & natura divina in ipsa personalitate inclusa, quæ secundariò tantum, & mediante personalitate, eidem humanitati unitur; difficultas est & controversia inter Theologos, quodnam ex illis tribus sanctificet formaliter humanitatem Christi sanctitate substantiali: Alij enim existimant illam formaliter sanctificari à modo unionis, alijs à personalitate Verbi, alijs verò à divinitate, prout à personalitate distincta virtualiter.

§. I.

Rejiciuntur duæ primæ sententiæ. & tertia ut verior & probabilior eligitur.

Dico primò, sanctitatem substantialem humanitatis Christi, non esse formaliter à modo unionis, quem aliqui inter humanitatem & Verbum constituunt.

Hanc conclusionem probat Vazquez hic disp. 25. 30. cap. 3. quia si unio esset forma præstans effectum sanctitatis, sequeretur apertè non posse assumi divinitus naturam irrationalem: nam ubi est impossibilis effectus formalis formæ intrinsicè inherens, impossibile est tale formam reperiri: natura autem irrationalis est incapax sanctitatis: non potest igitur recipere unionem, si ab illa tanquam à forma sanctitas in natura assumpta proveniat.

Sed hæc ratio non valet, quia ut articulo precedenti ostendimus, & variis exemplis declaravimus, licet forma unita subiecto capaci omnem suum effectum formalem illi tribuat, secus tamen quando in subiecto non invenitur capacitas ad omnem effectum formalem formæ quæ ipsi communicatur. Unde sicut nihil est quod obstat videatur quominus gratia habitualis collocetur divinitus in lapide, isque nihilominus non dicatur sanctus, nec fiat objectum amoris amicitie divinæ, sed tantum dicatur habens illam formam quæ in subiecto capaci præstaret effectum illum morale reddendi sanctum, & objectum dilectionis: ita nihil vetat unionem hypostaticam cum persona Verbi, naturæ irrationali communicari, & in illa esse modo merè physico, & absque eo quod illi tribuat effectum formalem sanctitatis. Hac ergo ratione prætermissa.

Probatur primò conclusio: Modus unionis non est sanctitas per essentiam, cum sit aliquid creatum, nec sanctitas per participationem, cum non sit participatio sanctitatis per essentiam, nempe naturæ divinæ, sub conceptu naturæ, cui soli convenire potest prædicatum sanctitatis per essentiam, ut ex dicendis infra constabit: Ergo non est sanctitas formalis, & consequenter non potest effectum sanctitatis præstare.

Probatur secundò ratione fundamentali. Si daretur modus unionis inter humanitatem & Verbum, quantum ad sanctitatem animæ, aliud non faceret quàm applicare & unire ipsi animæ bonum increatum, quod formaliter eam sanctificat, esset enim essentialiter unio & applicatio talis boni: Ergo non potest dici quod sanctificaret formaliter animam Christi, sicut neque propter similem rationem potest dici quod unio gratiæ habitualis cum anima, formaliter eam sanctificet, quod unio albedinis cum pariete, ipsum dealber

X x iij

formaliter, vel quod unio animæ rationalis ad corpus, formaliter illud animatum constituat.

Dico secundo: Personalitas Verbi, ratione illius quod addit ad perfectiones absolutas, non sanctificat humanitatem Christi formaliter.

28. Hæc conclusio sequitur ex principiis quæ Thomistæ communiter statuunt in Tractatu de Trinitate, unde non video quomodo Joannes à S. Thoma, Cipullus, & alij ex recentioribus Thomistis, oppositam possint docere sententiam: docent enim communiter Thomistæ in prædicto Tractatu de Trinitate, personalitates divinas ratione illius quod addunt ad essentiam, bonitatem, aut perfectionem non dicere: Sed sanctitas formalis, perfectio & bonitas est, cum subiectum quod sanctificat, reddat amabilem amabili dilectione, obiectum verò amoris sit bonum: Ergo personalitates divinæ, ratione superadditi ad essentiam, sanctitatem non important, sed tantum ratione essentia quam includunt, & consequenter personalitas Verbi, ratione illius quod addit ad essentiam, non sanctificat humanitatem Christi.

29. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Ex eo præcipue probant nostri Thomistæ in Tractatu de Trinitate, relationes divinas perfectionem ad essentiam non addere, quia alias darentur in Deo tres perfectiones relativæ, ex quo ulterius sequeretur perfectiones divinas inter se comparatas, inæquales esse, & cuilibet ex divinis personis aliquam perfectionem deesse, Patri scilicet perfectionem filiationis, & Filio perfectionem paternitatis: Sed non minus inconveniens est, multiplicari sanctitates in Deo, & concedere sanctitatum inæqualitatem, & cuilibet ex divinis personis aliquam sanctitatem deesse: Ergo si velint loqui consequenter ad sua principia, negare tenentur relationes divinas, ratione illius quod addunt ad essentiam, dicere sanctitatem, subindeque personalitatem Verbi, ratione illius quod addit ad naturam divinam, seu quatenus ab illa virtualiter distinguitur, non sanctificare humanitatem Christi.

30. Potest etiam suaderi conclusio hac ratione efficaci. Personalitas Verbi, ut virtualiter à natura distincta, non est sanctitas: Ergo prout sic non sanctificat formaliter Christi humanitatem. Consequentia manifesta est, Antecedens probatur. Si personalitas Verbi, ut virtualiter à natura distincta, esset sanctitas, vel hoc ei conveniret ex conceptu particulari quo ab attributis & aliis divinis formalitatibus distinguitur virtualiter, vel ex conceptu entitatis divinæ transcendentis, transcendentia per rationem, omnes Dei perfectiones & formalitates: Sed nullo ex his modis convenit personalitati Verbi ratio sanctitatis: Ergo non est sanctitas ratione illius quod addit ad essentiam. Major patet, Minor etiam pro prima parte nota videtur; non enim apparet ratio, cur personalitas ex proprio conceptu sanctitas sit, & hoc ipsum aliis Dei attributis non competat. Pro secunda verò parte sic ostenditur. Si conceptus sanctitatis conveniret personalitati ratione entitatis divinæ transcendentis prædictæ transcendentia, sicut ratio ista entitatis multiplicatur realiter in relationibus, & virtualiter in attributis, etiam sanctitas realiter in relationibus multiplicaretur, & virtualiter in attributis, ac per consequens intellectus, prout à natura & voluntate virtualiter distinctus, sanctitas formalis esset, & idem dicendum esset de omnipotentia, voluntate, & aliis attributis: Consequens est falsum: Ergo &c. Se-

A quela manifesta est, falsitas autem Consequentis probatur, Tum quia alias humanitas Christi esset sancta formaliter, non solum à personalitate & à natura divina, sed etiam ab intellectu divino, à voluntate, ab omnipotentia, & aliis attributis & perfectionibus Dei, quod non admittunt Adversarij. Tum etiam, quia si intellectus Dei v. g. ut à voluntate & natura divina distinctus, esset sanctitas increata formaliter, participatio divini intellectus esset sanctitatis participata; sicut quia natura divina, ut ab attributis virtualiter distincta, est sanctitas per essentiam, formalis participatio naturæ divinæ, nempe gratia habitualis, est sanctitatis participata: Sed fides, prophetia, lumen gloriæ, & similia, quæ sunt participationes formales divini intellectus, non sunt sanctitas per participationem; alioquin homo sanctificaretur per donum prophetiæ, & justificaretur per fidem, quod est erroneum, & à Tridentino damnatum: Ergo &c.

Dico tertio, divinitas, prout à personalitate distincta virtualiter, sanctificat humanitatem Christi.

Hæc conclusio colligitur ex supra dictis. In primis enim juxta SS. Patres articulo præcedenti citatos, eo sanctificatur humanitas Christi, quo ungitur: Sed à deitate ungitur, juxta illud quod ex Nazianzeno ibidem retulimus, *Christus dicitur propter divinitatem, ea enim humanitatis unctio est*: Ergo humanitas Christi à deitate sanctificatur.

Secundo, Humanitas Christi, præcedenter ad gratiam habitualement, est substantialiter sancta, ut ibidem monstravimus: Sed non à modo substantiali unionis, nec à personalitate, ratione superadditi ad essentiam, ut præcedentibus conclusionibus ostensum est: Ergo à Deitate, prout à personalitate virtualiter distincta.

Tertio, Divinitas sub conceptu naturæ est sanctitas infinita, tum quia participatio illius, nempe gratia habitualis, sanctitas finita est: Tum etiam quia est prima radix videndi & amandi Deum, in quo ratio sanctitatis consistit: Ergo unita humanitati Christi, formaliter illam sanctificat.

Nec obstat quod illi non uniatur immediate, sed mediatè tantum, mediante scilicet personalitate Verbi, cui immediate conjungitur: Tum quia gratia totum sanctificat hominem, etsi non uniatur toti homini immediate: Tum etiam, quia divinitas mediatè unita, reddit existentem humanitatem: Ergo & sanctam, non obstante unionis mediatione.

§. II.

Præcipua objectiones solvuntur.

E Obijcies primò contra primam conclusionem: SS. Patres relati à Suare hic disp. 33. sect. 3. asserunt humanitatem Christi sanctificatam fuisse per unionem ad Verbum, quam idcirco D. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 19. & in Enchirid. cap. 40. *summam gratiam* appellat: Ergo sanctitas substantialis animæ Christi, est formaliter à modo substantiali unionis, quo humanitas Christi conjungitur personalitati Verbi.

Sed nego Consequentiam, nam SS. Patres non loquuntur de modo unionis creato, se tenente ex parte humanitatis (hunc enim non agnovērunt, sed à quibusdam Scholasticis inventus est) sed de unionem Verbi increata, id est de communicatione personalitatis Verbi humanitati Christi; hæc enim

talem humanitatem sanctificat formaliter, non ratione illius quod explicat, sed ratione prædicati in illa implicitè importati, nempe naturæ divinæ, quæ est prima radix videndi & amandi Deum, in quo ratio sanctitatis consistit, ideòque unionem istam, *summam gratiam*, vocavit Augustinus.

Dici etiam potest, SS. Patres solum velle unionem sanctificari humanitatem Christi vialiter, inchoativè, & unitivè, quatenus unio humanitatis ad Verbum, est via ad sanctitatem à divinitate præstandam, non verò eam sanctificari à modo unionis formaliter.

36. Objicies secundò: Modus unionis hypostaticæ cum omni peccato sive actuali sive habituali incompossibilis est, ut dicemus infra, cum agemus de impeccabilitate Christi: Sed forma expellens peccatum, & cum illo incompatibilis, est sufficiens ad sanctificandum formaliter: Ergo modus unionis hypostaticæ formaliter humanitatem Christi sanctificat.

37. Respondeo primò, concessâ Majori, distinguendo Minorem: Forma expellens peccatum, & cum illo incompossibilis, est sufficiens ad sanctificandum formaliter, sanctificatione positivâ, nego Minorem: sanctificatione negativâ, transeat Minor. Similiter distinguo Consequens: Modus unionis hypostaticæ formaliter humanitatem Christi sanctificat, sanctitate negativâ, consistente in expulsiōe peccati, transeat: sanctitate positivâ, quæ consistit in hoc quod est diligere amicitiam, & in ordine ad vitam æternam, nego.

Respondeo secundò distinguendo Majorem: Modus unionis hypostaticæ cum omni peccato incompossibilis est, ratione sui, & directè, nego Majorem: indirectè, & ratione Divinitatis cui unit humanitatem, concedo Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

38. Explicatur & illustratur solutio hoc exemplo: Actus charitatis, in sententia asserente non posse elici de potentia absoluta nisi à gratia habituali, cum peccato incompossibilis est, quia cum gratia essentialiter connectitur, quæ cum peccato habituali incompossibilitatem habet; & tamen actus dilectionis non sanctificat formaliter, quia non pugnat cum peccato directè & ratione sui, sed indirectè & ratione alterius, nempe ratione habitualis gratiæ cui connectitur. Ita pariter licet modus unionis hypostaticæ cum peccato incompossibilis sit, quia tamen non pugnat cum illo directè & ratione sui, sed indirectè & ratione divinitatis cui unit humanitatem, istam non sanctificat formaliter, sed vialiter tantum & inchoativè, quatenus est via ad sanctitatem à Divinitate præstandâ.

39. Objicies tertio: Ab illo sanctificatur formaliter humanitas Christi, à quo deificatur formaliter: Sed deificatur formaliter à modo unionis hypostaticæ: Ergo ab illo sanctificatur formaliter. Major patet, Minor probatur. Humanitatem esse deificatam, nihil aliud est quàm esse divinati conjunctam: Sed esse conjunctam divinitati, est formalis effectus unionis hypostaticæ: Ergo humanitatem esse deificatam, præstat ab unione formaliter.

40. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; nam sicut esse visum, quamvis explicetur per hoc quod est terminare visionem, non est formalis effectus seu denominatio terminationis, sed visionis terminatæ; & esse sanum in medicina, & urina, quamvis explicetur per hoc quod est esse causam vel signum sanitatis, non est tamen formalis denominatio à significatione aut causabili-

A tare sanitatis, sed ab ipsa sanitate significata, vel causata: sic esse deificatam, tamen explicetur per hoc quod est esse deitati conjunctum, non est tamen effectus formalis, seu denominatio à conjunctione deitatis, sed ab ipsa divinitate; unde ex eo quod unio hypostatica sit formalis ad deitatem conjunctio, non sequitur esse formam deificantem formaliter, sicut nec conjunctio cum igne, est id à quo lignum constituitur ignitum formaliter, sed ignis ipse: quo exemplo ulus est Damascenus ad explicandam deificationem humanitatis à Verbo.

Objicies quartò: Unio hypostatica seu modus substantialis unionis, est donum nobilius & perfectius gratiæ habituali: Sed gratia habitualis reddit hominem formaliter sanctum: Ergo à fortiori unio hypostatica sanctificat formaliter Christi humanitatem.

Sed nego consequentiam & paritatem, esto enim unio hypostatica excellentior sit habituali gratiæ, quia tamen ad diversos ordines spectant; nam gratia in suo ordine obtinet rationem naturæ, secus verò unio hypostatica, seu modus substantialis unionis, inde sit quod gratia habitualis sanctificare possit formaliter, non autem unio hypostatica; illa enim est forma sanctificans quæ est radix donorum pertinentium ad ordinem gratiæ, & quæ proinde in tali ordine se habet per modum naturæ.

Objicies quintò: Modus substantialis unionis, verè & propriè gratia est, unde Augustinus supra citatus, unionem humanitatis ad Verbum, *summam gratiam* appellat: Ergo ex vi illius Christus ut homo gratus est & Deo acceptus, ac proinde sanctus formaliter.

Sed nego etiam istam consequentiam, nam omne beneficium nobis à Deo gratuito concessum, gratia est, & talis nuncupatur à Theologis, & tamen omne beneficium sic à Deo nobis concessum, non sanctificat nos formaliter, ut constat in fide, quæ beneficium est, & gratia supernaturalis, & tamen homines per fidem non sanctificari formaliter, certum de fide est, & à Tridentino definitum. Constat etiam in dono charitatis sive actualis, sive habitualis, quod gratia est, & tamen non reddere hominem gratum & sanctum formaliter, frequentior Theologorum sententia docet. Constat pariter in visione beatifica, quam esse maximam gratiam & donum, nullus inficiari potest; & tamen ipsam non sanctificare formaliter, probabilius tenet sententia. Non ergo valer ista consequentia: Modus substantialis unionis est gratia facta humanitati Christi: Ergo reddit illam gratam & sanctam formaliter.

§. III.

E Solvuntur aliæ objectiones, contra secundam & tertiam conclusionem fieri solite.

O Bjicitur primò contra secundam conclusionem: Gratia unionis, prout gratia unionis est, sanctificat humanitatem Christi formaliter, ut articulo præcedenti ostensum est: Sed personalitas Verbi, ratione illius quod addit ad Divinitatem, est gratia unionis: Ergo prout sic sanctificat Christi humanitatem formaliter. Minor probatur: Gratia unionis est donum substantiale personaliter communicatum humanitati Christi: Sed personalitas Verbi, ratione superadditi ad essentiam, est donum substantiale personaliter communicatum humanitati Christi, cum prout sic

terminet humanitatem, & illam subsistentem constituat: Ergo personalitas Verbi, ratione illius quod addit ad divinam essentiam, est gratia unionis facta humanitati Christi.

46. Respondeo distinguendo Majorem: Gratia unionis completè sumpta, sanctificat humanitatem Christi formaliter, concedo Majorem: incompletè sumpta, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

47. Explicatur solutio hoc exemplo, seu hac instantia: Modus substantialis unionis, in sententia illorum qui illum in humanitate Christi admittunt, verè gratia unionis est, cum sit donum substantiale, personaliter humanitati Christi collatum; & tamen quia non est gratia unionis completè & adæquatè sumpta, sed incompletè tantum & inadæquatè, non sanctificat humanitatem Christi formaliter, juxta frequentiorē Theologorum sententiam. Ita pariter, quia personalitas Verbi, ut terminans ratione sui humanitatem, proprii ad unionem cum divina natura, quæ mediante personalitate unitur, non est gratia unionis consummatè & completè, sed incompletè & vitaliter (talis enim gratia completè consistit in unionem cum divina natura) ideo personalitas Verbi, prout immediatè & ratione sui unita humanitati, illam non sanctificat formaliter, sed ratione naturæ divinæ quam unit, & quæ transcendentaliter in ea includitur.

48. Obijciunt secundo: Per id sanctificatur humanitas Christi formaliter, quod terminat hypostaticum amorem: Sed personalitas Verbi ratione illius quod addit ad essentiam, terminat amorem hypostaticum: Ergo sanctificatur formaliter per subsistentiam Verbi, ut virtualiter distinctam a natura divina. Minor est certa, Major verò suadet. Amor hypostaticus est major amore adoptivo: Sed per id sanctificatur homo formaliter, quod terminat amorem Dei adoptivum: Ergo per id etiam sanctificatur humanitas Christi formaliter, quod amorem hypostaticum terminat.

49. Respondeo distinguendo Majorem, quod terminat amorem hypostaticum ultimò, concedo Majorem: non ultimò, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Et insto in modo unionis, ratione cuius terminat humanitas Christi amorem hypostaticum, in sententia illorum qui talem modum in humanitate Christi admittunt; quia tamen ille modus non est terminus ultimus talis amoris, sed ulterius tendit, nempe ad Verbi subsistentiam, non sanctificat Christi humanitatem. Sic in præsentī, quia amor hypostaticus non sistit in subsistentia Verbi, sed ulterius tendit ad communicandam naturam divinam, non subsistentia, sed natura ultimò terminans, humanitatem Christi sanctificat.

50. Dices, Terminus non ultimus prædestinationis adoptivæ, sanctificat animam iusti, scilicet gratia habitualis: Ergo etiam terminus non ultimus prædestinationis hypostaticæ, sanctificabit formaliter humanitatem Christi.

Sed nego Consequentiam, nam inter terminos non ultimos prædestinationis adoptivæ continetur habitualis gratia, quæ cum natura sit in ordine supernaturali, est sufficiens ad sanctificandum formaliter; & ideo sanctificat, non quia terminus est prædestinationis adoptivæ; aliàs omnis terminus hujus prædestinationis sanctificaret formaliter, quod est falsum, cum nec auxilia sufficientia, nec efficacia, nec actus contritionis, nec alia dona gratiæ, imò nec visio beatifica, quæ terminus ulti-

mus est, præbeant sanctitatem formalem, sed ideo sanctificat, quia talis terminus est, nempe in quo Dei natura participata invenitur: personalitas autem Verbi, ratione illius quod divinitati superaddit, non est natura divina nec per essentiam nec per participationem; & ideo quamvis terminet non ultimò Christi prædestinationem, non sanctificat humanitatem Christi formaliter.

Obijciunt tertio: Gratia habitualis sanctificat formaliter animam, quia illam deificat: Sed personalitas Verbi, ut virtualiter à natura distincta, perfectiori modo deificat Christi humanitatem, cum deificet illam substantialiter, gratia verò solum accidentaliter: Ergo à fortiori personalitas Verbi, ut virtualiter à natura distincta, sanctificat formaliter Christi humanitatem.

Respondeo non quamlibet deificationem, sed illam quæ est naturæ sub conceptu naturæ, esse sanctificationem, cum forma sanctificans sit radix donorum pertinentium ad ordinem gratiæ; & terminet amorem divinum, dando radicaliter vim ad Deum redamandum: unde quia gratia habitualis, ratione sui deificat deificatione naturæ, quamvis participatè, personalitas autem Verbi, prout à natura distinguitur, non deificat deitate naturæ, sed deitate communi naturæ & omni formalitati divinæ, inde fit quod gratia habitualis sanctificat formaliter, secus autem Verbi personalitas, ratione illius quod superaddit naturæ. Unde ad argumentum in forma responderetur, distinguendo Majorem: Gratia habitualis sanctificat formaliter animam, quia illam deificat, deificatione naturæ, concedo Majorem: quia illam deificat quomodo-cunque, seu quacunque deificatione, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Personalitas Verbi ut virtualiter à natura distincta, perfectiori modo deificat, deificatione naturæ, nego Minorem. Deificatione communi naturæ & omni formalitati divinæ, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

Obijciunt quarto: Per id sanctificatur humanitas Christi formaliter, cui immediatè unitur: Sed immediatè unitur subsistentiæ Verbi, quàm naturæ divinæ, cum isti mediante solum Verbi personalitate conjungatur: Ergo sanctificatur formaliter per subsistentiam Verbi, non verò per naturam divinam.

Respondeo Majorem esse absolutè falsam, & instantiam habere manifestam, tum in unionem gratiæ habitualis ad animam, cui immediatè anima unitur, quàm gratiæ habituali, & tamen non per unionem, sed per gratiam sanctificatur formaliter: Tum etiam in modo unionis hypostaticæ, quem aliqui inter humanitatem assumptam & Verbum Divinum admittunt; illi enim immediatè unitur humanitas, quàm subsistentiæ Verbi; & tamen ab illo non sanctificatur formaliter, ut in prima conclusione ostendimus, & tenet frequentior Theologorum sententia. Major ergo solum est vera, quando illud cui immediatè unitur humanitas, forma sanctificans est: unde quia personalitas Verbi, ratione superadditi ad essentiam, sanctitas formalis non est, per illam sub isto conceptu, quamvis immediatè unitam, non sanctificatur humanitas Christi, sed per naturam divinam, quæ ratione sui forma sanctificans est.

Obijciunt quinto contra tertiam conclusionem: Ut Divinitas præstet humanitati sanctitatis effectum, requiritur quod ei ut forma physica uniatur: Sed divinitas non potest per modum formæ physice humanitati uniri, cum physica informa-

tio dicat imperfectionem naturæ divinæ repugnantem: Ergo divinitas non potest sanctitatis effectum præstare humanitati assumptæ, seu illam sanctificare formaliter.

56. Respondeo, negando Majorem, sicut enim in adversa sententia personalitas sanctificat humanitatem, non per physicam informationem, sed per solam terminationem; ita divinitas illam sanctificare potest, absque eo quod illi per modum formæ informantis physicè uniatur, per hoc solum quod illi conjugatur per modum termini ipsam terminantis, non immediate, & ratione sui, sed mediatè, & ratione subsistentiæ personalis Verbi, in quo transcendentaliter includitur; unio enim mediata divinitatis cum humanitate, sufficit ut ab illa sancta constitatur, ut supra ostensum est.

57. Ad majorem hujus difficultatis elucidationem, & plurium argumentorum solutionem, Advertendum est, in sanctitate duas includi rationes seu conceptus inadæquatè distinctos, primus est esse radicem physicam actionum vitalium intelligendi & amandi Deum, secundus est esse objectum congruum dilectionis divinæ amabilis: quamvis autem natura divina non communicetur, nec possit communicari humanitati Christi sub primo conceptu seu formalitate, quia hoc importat imperfectionem formæ physicæ, naturæ divinæ repugnantem, bene tamen secunda, quia talis conceptus seu formalitas, nullam dicit imperfectionem. Sicut in visione beatifica, essentia divina communicatur intellectui beatorum sub ratione speciei, non tamen ut principium intelligendi, quia in conceptu & munere speciei nulla includitur imperfectio, bene tamen in conceptu radicis & principij intelligendi.

58. Dices primò: In gratia isti duo conceptus distinguuntur inadæquatè, & tamen non potest communicari sub uno, nisi communicetur sub alio: Ergo pariter in natura divina.

59. Sed nego consequentiam & paritatem, ob duplicem rationem discriminis: Prima est, quia gratia non potest nisi uno modo communicari, scilicet per inhaesionem: eo autem ipso quod sic communicetur, necessario utrumque munus præstat, redditque hominem objectum congruum divinæ dilectionis, & radix est actionum vitalium intelligendi & amandi Deum. Natura verò divina communicari potest per immediatam & mediatam terminationem, & communicata hoc secundo modo, reddit humanitatem Christi objectum congruum divinæ dilectionis, absque eo quod suppleat in ea radicem physicam actionum vitalium intelligendi & amandi Deum, sed hoc præstat à gratia habituali animæ ejus infusa; illa enim in Christo, sicut & in aliis sanctis, est principium radicale vitæ supernaturalis, seu actionum vitalium intelligendi & amandi Deum, ut infra patebit.

60. Secunda, quia omne subiectum capax sanctitatis, est etiam capax vitalitatis illius: non stat autem formam communicari, non communicato omni effectu cujus subiectum est capax: potest autem aliquid esse capax sanctificationis à natura divina, absque eo quod sit capax vitalitatis increate illius.

61. Dices secundò: Conceptus radicis est prior in natura divina: Sed impossibile videtur communicari formam sub conceptu posteriori, nisi etiam communicetur sub priori: sicut implicat formam tribuere subiecto effectum suum formalem se-

Tom. IV.

A cundarium, nisi etiam ei communicet primum: Ergo repugnat deitatem communicari humanitati Christi sub conceptu sanctitatis, nisi etiam ei communicetur sub conceptu radicis vitalis intelligendi & amandi Deum.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: Nam ratio speciei posterius se habet in natura divina ad rationem radicis, & tamen unitur intellectibus beatorum in ratione speciei, absque eo quod ipsis uniatur sub conceptu radicis: ratio etiam existentiae, secundum nostrum modum intelligendi, posterius se habet in Deo ad rationem essentiae, & tamen unitur humanitati Christi sub ratione existentiae, illam existentem constituendo, absque eo quod ipsi uniatur formaliter sub conceptu quidditatis & essentiae. Item in personalitate Verbi prius concipitur ratio productæ, sub qua constituit Verbum; deinde ratio hypostasis, sub qua constituit personam; postremo ratio referentis, sub qua constituit filium; & tamen humanitati Christi non unitur sub ratione Verbi, nec sub ratione referentis, bene tamen sub ratione personæ, vel hypostasis.



DISPUTATIO XII.

De Gratia Christi habituali.

Ad questionem 7. D. Thomæ.

C onsiderata sanctitate Christi substantiali, quæ est à gratia unionis, consequens est ut ejus sanctitatem accidentalem, quæ oritur à gratia habituali, animæ ejus à principio conceptionis infusa, in hac disputatione contemplemur; & quæ S. Doctor quæst. 7 de hujusmodi gratia docet, breviter exponamus.

ARTICULVS PRIMVS.

Vtrum in anima Christi fuerit gratia habitualis?

E Vere quidam Theologi teste Paludano in 3. sentent. dist. 13. quæst. 2. qui existimant gratiam habituales non fuisse in Christo, quia putabant eam omnino in eo superfluum: cum enim (inquirebant) solum conferatur ad sanctificandum, & sine illa anima Christi per gratiam unionis perfectissime sanctificetur, omnino supervacanea videtur in Christo, subindeque non reperitur in illo, cum ordo gratiæ non minus abhorreat à superfluo, quam ordo naturæ. Affirmans tamen sententia communis est inter Theologos: eam tenent Commentatores D. Thomæ in præsentia, & Scholastici cum Magistro in 3. dist. 13. oppositam ut hæreticam, vel erroneam, aut saltem ut temerariam proscriptentes.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur, & ex Scripturâ, ac Sanctis Patribus, & triplici ratione Divi Thomæ suadetur.

D ico igitur: in anima Christi Domini fuit gratia habitualis.

Probatur primò ex Scriptura, præsertim ex illo Iсай 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxit Dominus me: quæ verba de se dicta exponit

Y y